

Martyre referuntur: *Sub idem tempus Crassus Consentiam, magnam urbem Brutorum, atque aliquot oppida, ab Hannibale abstraxit.*

Videant Legentes, si Appianus satis sibi constet, quando asserit, Brutorum urbes, usque ad belli exitum, Hannibali adhæsisse. Et si aliqua parva oppida, vel etiam urbes, adhæsissent, quid mirum, quando Hannibal, Italiam fugiens, regiones illas ultimo loco reliquit, quum ille ultimæ fuerint, per quas ab Italia exivit? Absentia teterrimi hostis liberaverat quidem regiones alias, in longinquo positas, terrore illo, quo illo præsentia tenebantur. At ejusdem præsentia semper terruit Brutios, quousque pedem extra Italiam ad-moveret. Et nihilominus, ipso etiam spectante, Brutorum urbes ab ipso defecerunt; ut Livius asserit, & Appianus ipse testatur; quæ quomodo stare possint cum Appiani testimonio, quo dicitur Brutios, usque ad belli exitum, Hannibali adhæsisse, Legentes videant, & judicent.

De aliis Brutorum urbibus, a Livio scimus, loco superius citato, quod ad Romani populi fidem post annum redierunt: *Eodem tempore in Brutiis ex duodecim populis, qui anno priore ad Pænos desciverant, Consentini, & Turini, in fidem Populi Romani redierunt.* Observare hîc primum non sit inane, Brutorum primarias urbes, non amplius, quam unius anni spatium, sub Hannibale fuisse; *qui anno priore, ait Livius, ad Pænos desciverant: Quæ ergo veri saltem similitudine Appianus, eas usque ad belli finem, permansisse, commentus est?* Appianus igitur non solum Livio, sed sibi etiam oppositus probatur; quum asserat, Consentiam, Magnam Brutorum Urbem, & ejus exemplo oppida plura, ad Romanos rediisse; & immemoralibi dicat,
Bru-